UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

S. Odilo Abbas. Cura defunctorum

[Köln], [1654]

S. Cunigundis Virgo. Amor virginitatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-71907

Visual Library

S. CUNIGUNDIS VIRGO.

Amor virginitatis.

Deus, qui S. Cunigundi conceſſiſti, ante, intra, & poſt conjugium virginitatem ſervare intemeratam; da ut virtutem continentiæ digne æſtimare, & pro ſuo quique ſtatu tenere omnes eamdem, ipſa intercedente, valeamus.

Ora pro conjugibus continentibus.

CVNIGVNDIS, filia Sigifridi Luxemburgenſis Comitis I, S. Henrico Duci Bavariæ nupta, ab ipſo Rege creato Moguntiæ, 6 Junii; Regina coronata eſt Paderbornæ, 10 Auguſti 1002; ambo autem Romæ Imperatores à Benedicto VIII, an. 1014. Mutuo conſenſu virginitatem ſervantes, plurimas ubique eccleſias dotarunt aut fundarunt. Ipſa Confugienſe monaſterium in Haſſia ſtruxit: ubi poſt viri mortem, an. 1024 obitam, Sanctimonialis effecta, vixit ſanctiſſime annis 15, variis in vita atq; poſt mortem illuſtrata miraculis: inter quæ memorabile, quod adulterii accuſata, virginitatem, Henrico inſpectante, probavit judicio ferri candentis. Corpus, viri corpori Bambergæ contumulatum, ac poſtea ſeorſim ſub altari eſt conditum, 9 Septembris, qui die adhuc colitur; ſicut & die 29 Martii Canonizatio ejus, ab Innocentio III celebrata 1200. Vitæ & miraculorum Acta habentur Bambergæ, ſeculo XII ſcripta. Tunica, ad puerperas periclitantes delata, multis vitam ſervat.

O quam pulcra eſt caſta generatio cum claritate! immortalis eſt enim memoria ipſius. Sap. 4.